

A D D E N D A.

I. Ad pag. 242. not. *x*. (*Potamog. sparganifolius*) denique hæc æstate (1831) seminibus lectus, quæ minuta, compressa, dorso acuta nec admodum carinata erant, stigmate persistente, sic scilicet, ut pars inferior constabat semine, pars autem superior stylo. (An autem vere matura fuerint, incertum est, nam intra calycem erant inclusa). In inferioribus regionibus secus flumen Tornense hunc frustra quesivi, et tantum inveni inter Kuttainen et Maunu, trium miliariorum spatio distantia, frequenter multisque locis.

II. Pag. 257. not. *q*. Quod si in ipso litore marino crescit, omnino successior *Airå* cæspitosa fieri potest, tumque ad sequentem §. pertinet; eadem est *Caricis* salinæ ratio.

III. Pag. 268. not. *c*. (*Juncus nodulosus* var. *biceps*). Sic anno 1830, cum ætas et pluvia abundaret. Sequentè vero æstate (anno 1831), quæ post hominum memoriam his regionibus (in Lapponia totaque Västrobottnia) siccissima calidissimaque fuit, idem *Juncus* eodemque loco, quo antea lectus, non *biceps* sed *uniceps* fuit: id est capitulo unico, terminali, subbifloro. Culmo pollicari. Pari modo antea ad Maunu ejusdem Lapponiæ Tornensis, et quidem locis siccioribus videbatur frequenter: capitulo uno terminali subtrifloro, et *Junco triglumi* adeo similis, cui etiam intermixtus erat, ut non nisi summa attentione et præcautione ab eodem distingueretur. Cum his formis, quæ ad multa millia leguntur, acutissimum quemque Botanicum fallere possemus, siquidem ad *Juncum nodulosum*, panicula interdum ramosissima præditum, istiusmodi formas pusillas pertinere nemo sane divinaret, nisi qui locos habitationis, transitus, investigando indubitabilis, continuamque formarum seriem videbit. Hæ formæ, seu *Juncus nodulosus* var. *uniceps* ad §. 51 referendæ sunt, quo quidem loco *Juncus stygius* var. *subcompositus* (§. 51) delendus, et ad §. 53 transferendus, utpote qui locis pinguidis obvenit, scilicet locis limosis, non quidem inundatis, sed a gregibus bovinis pin-